



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XI. Significatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

Significatum.

PARAPHRASIS.

Intellexit Alexand. III. quod Præpositus, & Capitulum Ecclesiæ Insulanæ Sacerdoti præbendam contulerint, cum eo onere, ut Missam de B. V. Maria, nisi corporis infirmitate gravatus sit, quotidie celebrare debeat; nec beneficium illud dimittere possit, absque Præpositi, & Capituli consensu, sed nec alteri officium suum annuum committere. Hanc institutionem Papa confirmat, eâ moderatione, ut Sacerdos, nisi infirmitate impeditus sit, assidue suum servitium Ecclesiæ illi impendere debeat, & quanto frequentius potest, salvâ honestate, & debita devotione, Missam celebrare, neque liceat ipsi, voluptatis causâ, se subtrahere, vel ad aliam Ecclesiam transferre.

SUMMARIUM.

1. Vacans beneficium sine novo onere suspensivo, persona, per modum pacti, imposito, conferri debet. Nisi Papa consentiat.
2. Ita ut nec conditio suspensiva addi possit, nec conditio de præsentis vel præteritis, nisi hac ex sua natura insit.
3. Quod idem de modo dicendum est.
4. Potest tamen Episcopus cum consensu sui Capituli & Patroni, si patronatum beneficium sit, beneficium, dum vacat, ex causa rationabili onus adijcere, ad quod beneficiarius deinceps sit obligatus.
5. Ita tamen, ut collator exinde nullum commodum directè aut indirectè habeat.
6. Si Capellania Collativa onus imponat, ut quotidie Capellanus celebret, intelligi hoc onus debet; salvâ honestate, & devotione debita.
7. Neque tamen omnis talis obligatio

quotidie celebrandi de Beatiss. Virgine v. g. decens esse videtur.

Notandum primò. Beneficium, dum vacat, debet liberè conferri, & non appposito novo onere, aut conditione, nisi Papæ, qui plenissimam in beneficijs dispositionem obtinet, consensus & confirmatio accedat. Ita significat *Gl. hic V. ita quod, & expressiùs Gl. in c. penult. V. unius præbendæ. de Magistris.* Pro majore intellectu generatim hic tractari potest quæstio, num collator beneficij, conditionem, vel modum, seu onus in collatione apponere possit. Cui quæstioni responderi potest, distinguendo inter conditionem propriè dictam, quæ actum v. g. collationis, & institutionis conditionalem efficit, aut modum appositum, qui dispositionem v. g. collationem, aut donationem absolutam relinquit, sed donatario, aut proviso vicissim obligationem seu onus imponit. Quod attinet ad conditionem propriè dictam.

Dico primò. Collatio beneficij, sicuti & electio, fieri debet absolutè, & non sub conditione in futurum suspensivâ: alioquin ipso jure irrita est. Exempli causa: confero tibi beneficium, si intra annum Sacerdos factus fueris. Ita *Gl. receptam c. 2. V. incerta de electione in 6. Francus n. 4. Azor to. 2. lib. 6. c. 26. q. 2. Garzia p. 8. c. 2.* Ratio est, quia beneficiorum collationes, & electiones, inter actus legitimos numerantur, qui nec conditionem recipiunt, nec diem. *Reg. 50. in 6.*

Dico secundò. Nec valet collatio beneficij sub conditione de præsentis, vel præteritis, nisi ea suapte natura insit. Ita *Gl. cit. Monachus ibidem n. 4. Francus. n. 5.* Exemplum prioris partis est, si quis dicat: confero tibi beneficium, si Pater tuus vivit, aut si Pater tuus Ecclesiæ tributum numeravit, irrita est collatio, propterea, quod ea absolutum, & determinatum consensum collatoris requirat. Idemque multò magis dicendum de electione, irritam esse, si fiat sub tali conditione, quia vota eligentium debent esse certa, uti habetur

in cit. c. 2. Exemplum posterioris partis est, si quis dicat: confero tibi beneficium, si vacat, si legitime natus es, si atatem legitimam consecutus, talis conditio valida censetur, secundum *Gl. & Franc. citat. loc. cit. Abd. in c. si tibi absenti. hoc. tit. in 6. col. 1. Azor loco cit. q. 5. Covarr. tertia Resolut. c. 16. n. 2.* ubi ajunt, quod Ordinarius ignorans mortem antecessoris conferre possit alteri, sub conditione, si jam vacat, quamvis executio fieri non possit, nisi de vacatione constet. Ratio dari debet, nam, qui conditionem actui apponit, quæ, & qua ratione de jure inest, is nihil addit, aut demit, sed explicat, quod implicite continetur, sicuti notat *Monach. cit. c. 2. n. 8.* & arbitror cum *Garz. cit. c. 2. n. 5.* idè sentiendum esse de electione, cum ratio jam tradita etiam in eâ probet, licet *Gl. Franc. Covar.* contrarium sentiant. Veruntamen in electionibus, & semè etiam in collationibus beneficiorum, non satis convenienter talis conditio, incertitudinem rei in se continens, adjicitur, eò quod per eam signari videatur, necessariam causam cognitionem præmissam non fuisse.

Quod attinet ad conditionem latè dictam seu modum, num in collatione adijci possit. Dico primò. Conditio sive modus, qui de jure inest, collationi adijci v. g. tibi nondum Sacerdoti parochiam confero, ita tamen, ut intra annum sacerdotium accipias, vel ita tamen, ut alerum curatum mox dimittas beneficium: nam talis conditio de jure requiritur, adeoque, si non exprimitur, subintelligitur. *c. licet 14. de electione in 6. c. de multa 28. hoc. tit.* Adde tamen collatio talibus verbis fiat, ut externa specie videantur significare conditionem suspensivam, v. g. confero tibi, si intra annum Sacerdos fias, tamen benignius explicandum esse, ut modum, non ut proprie conditionem contineat, quia verba cujuslibet dispositionis ita in dubio intelligi debent, ut actus valeat potius, quam ut pereat. *c. Abbati 25. de Verborum significatione.* Corrueret autem collatio ea, si

fieret sub conditione suspensiva; non autem corrui, si fiat sub modo, seu obligatione, quatenus de jure inest, videlicet, ut provifus obligatus sit, intra annum Sacerdos fieri.

Eadem ratione ex communi docet *Garz. n. 16.* quod pactio adjecta collationi aut resignationi, si id præcisè contineat, quod jure communi requiritur, non faciat eam Simoniacam, v. g. resigno tibi beneficium eo pacto, ut fructus ad me pertineant, usque ad ejus resignationis acceptationem, seu admissionem, qua de re *Flam. Parisus lib. 1. q. 6.* Sed opus est, ut modus adijciatur, sicuti de jure inest, & non, ut obligatio augeatur, vel alteretur: si enim v. g. obligatio dubia sit in jure, non potest adijci conditio, ut illa absque contradictione impleatur, contineret enim novam pactio-nem, seu transactionem, qua in beneficiis prohibetur, juxta *c. ult. de pactis.*

Dico secundò. Episcopus cum Capituli sui consensu ex causa rationabili beneficio, dum vacat, adijcere potest onus, v. g. ut beneficiarius deinceps docere debeat sacram Scripturam, vel Catechesin. Ita *Gl. hic in notandis, Imola n. 9. Abb. n. 7. Gl. in c. penult. V. unius de Magist. Azor 10. 2. lib. 6. c. 26. q. 3.* Notant verò Abbas, & alij cautelam, ut pactio evitetur, ipsi rei seu beneficio onus imponendum esse, tunc enim beneficium transit ad provifum cum onere suo. Sic Capellania licet ex prima fundatione unius tantum in hebdomade, aut duarum Missarum onus habeat, tamen ex justa causa, aut necessitate, numerus Missarum ab Episcopo augeti potest, si videlicet redditus sufficienter, & Ecclesia frequentiore sacrificio indigeat. Verum si beneficium patronatum sit, consensus Patroni adhibendus est, qui eum rationabiliter negare non potest, si causa talis mutationis adsit.

Potro Prælati inferior Episcopo, Capitulum Cathedrali, aut Ecclesia aliqua Collegiata, licet jus habeat conferendi beneficia, tamen eorum naturam, & institutionem per nova statuta mutare non potest absque

absque ordinarij Episcopi consensu, & auctoritate, sicuti *Abb. hic* monet *n. 2.* quia Clerici aut Capitulum non possunt alterare statum Ecclesie, sine Episcopo, *uti docent DD. in c. ad audentiam. s. ubi Abb. n. 3. de Ecclesijs adificandis.* Dico tertio: tale onus, v. g. Theologiam docendi, non potest in collatione imponi personæ, per modum pacti. Ita docet *Gl. in cit. c. penult. V. unius Alexand. de navo super Abbatem in eodem c. Navar. in consilio unico, ut Ecclesiastica beneficia &c. contra Hostien. Ioan. And. & Abb. in cit. c. penult.*

Limitandum tamen est, si honesta conditio, seu requisitum sit, ad quod institutus rationabiliter, & cum Ecclesie utilitate obligari possit, & ita conferatur, ut exinde collator nullum seu directè, seu indirectè, temporale commodum percipiat, tunc non videtur illicitum, ante collationem, aut institutionem, exigere promissionem, vel iuramentum, v. g. quòd sincero animo beneficium accipiat, & non animo dimittendi; quòd sine collatoris, vel successorum ejus consensu resignare nolit, nec permutare, reservatà pensione; item si aliud incompatible, quamvis simplex beneficium obtineat, quòd istud statim resignare velit, &c. Licet enim talia, cum novam obligationem afferant, ideòque pacationem contineant, in ipsa collatione exigere non posse videantur, sicuti bene monet *Navar. cit. loco*, non tamen damnari potest, si consuetudo, aut statutum sit in aliqua Ecclesia, ut recepturi beneficium ante institutionem, aut collationem tale aliquod iuramentum edant, qua de re *Azor to. 1. lib. 11. c. 5. in fine, & to. 2. lib. 6. c. 9. q. 9.* Ratio dari debet, quia hoc non censetur esse pactum, sed statutum, seu consuetudo, cui conformare se debent ij, qui beneficia consequi volunt, quemadmodum simili ratione jurare coguntur, promovendi, seu instituendi, quòd statuta Ecclesie servare velint.

6 Notandum secundò. Si Capellania collativa obligationem contineat, ut Capella-

nus per seipsum quotidie sacrificet, ideòque obligatio indefinenter celebrandi imponatur personæ, explicari debet, ut quotidie sacrificet, quatenus potest, salvà honestate, & debità devotione. Ita hic, ubi id tradunt Canonistæ omnes, & explicavi *lib. 5. tract. 5. c. 3. n. 6.* Alia ratio est, si obligatio sacrificij quotidiani adhareat loco seu altari, tunc Capellanus alium substituere debet Sacerdotem, si ipsemet sacrificare nolit, aut non possit.

Notandum tertio: non censetur ea obligatio decens, si personæ imponatur, ut Capellanus quotidie Missam dicere debeat de B. Virgine, prout *ex hoc. c.* colligitur, & notavit *Innocent. Joan. And. n. 3. Abb. n. 5.* Est autem honesta institutio, seu fundatio adhærens loco, ut in certo altari, vel Capella per totum annum, quotidie fiat Missa de B. Virgine, vel pro defunctis, sicuti *ex Navar. lib. 3. consil. 9. de celebratione missarum editione 2. docui in cit. tract. 5. c. 1. n. 16.*

CAPITULUM XII. De Monachis.

PARAPHRASIS.

Monachi, quibus parochiales Ecclesie incorporatæ erant, constitutos Vicarios gravarunt, exiguam, & non competentem portionem reddituum tribuendo, ita ut hospitalitatem tenere non possent. Hoc intellecto mandat *Alex. III. Figoricensi Archiepiscopo*, ut nullum in posterum Vicarium à Monachis præsentatū recipiat, nisi tanta coram eo de Ecclesie proventus portio fuerit assignata, ut congruam sustentationem habere, & jura Episcopalia solvere possit.

SUMMARIUM.

1. Uniones talium Ecclesiarum varijs sãpè modis fieri solent.
2. Semper tamen Curatis talibus, seu Vicarijs, sufficientes redditus dari debent, qui non tantum ad sustentationem, sed etiam